DE RHEUMATISMI ARTICULORUM CHRONICI THERAPIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
AD SUMMOS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XII. MENS. JANUARII ANNI MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
AUGUSTUS DITTMER,
POMERANUS

1864

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

O. SUSEMIHL, STUD. JUR.
R. HOEFLING, DRD. MED.
A. RECLAM, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

SUIS DILECTISSIMIS

HASCE PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Priusquam propositum ipsum aggredior, mihi permissum sit, de morbi historiis mihi suppetentibus mentionem facere, atque statim ab initio, quoniam anatomia pathologica nos de inflammationum articulorum accuratioribus differentiis ad hoc tempus non satis doceat, id definire, quod mihi quidem rheumatismus articulorum chronicus esse videtur. Rheumaticam eam chronicam idiopathicam articulorum inflammationem esse dico, quae plerumque plures articulos, dum saepe alia organa praecipue musculi rheumatismo affecta sunt, eodem tempore capit, et quae aut perfrigescendo, ut potest demonstrari orta est, aut ad aliam causam, trauma dyscrasias etc., certe reduci non potest, qua denique, etiamsi longior fuit, satis exiguae anatomicae immutationes efficiuntur, me igitur a chronico articulorum rheumatismo et eas inflammationes, quibus epiphysium caries articulique suppuratio excitantur, et arthritidem deformantem discernere facile intelligi potest.

De primis quidem quatuor morbi historiis ex annis 1859—60 non multum commemorari potest,

nam aegroti, omnibus medicamentis, quae hoc in morbo adhiberi solent, et internis et externis adhibitis, plerumque multo post aut plane non sanati, aut paullo modo meliores facti, demissi sunt. Longe diversi sunt ii casus, qui postea tractabantur, de quibus propter therapiae eventum paullo copiosius dicere mihi proposui.

Historia prima.

Johannes Linde, nauta, triginta tres annos natus XVIII. XI. LXI. in institutum receptus est.

Anamnesis. Ille homo, qui jam per complures annos acutis morbi impetibus vexabatur, iter faciens mense Septembri ejusdem anni ita aegrotavit, ut dolorum causa nullum membrum movere posset, ideoque prorsus e lectulo surgere nequiret. Postea autem, quum dolores remisissent, inferiorum extremitatum agitatio ejusmodi erat impedita, ut aegrotum semper ferri aut certe duci necesse esset.

Status praesens. Atrophia totius corporis praecipue extremitatum est maxima. In manibus capitula phalangum tumida esse videntur; vis manuum, quarum articuli sunt tam turgidi, ut antibrachia admodum tenuia esse videantur, est minima; articuli cubitorum morbo non affecti, sed genuum pedumque articuli maxime turgidi moti crepitantes et fluctuantes inveniuntur.

Aegrotus nullo adjutore erectus assistere non potest et toto corpore captus semper in lectulo est.

Therapia. Aegroto semper Kalium jodatum ʒij — ℥vj praebetur; musculi extremitatum vi electrica afficiuntur et articulis fomenta, quorum autor Priessnitz est, adhibentur; postea ter per hebdomadem balinearum vaporatio praescribitur. Quo modo aegrotus tractatus ita convaluit, ut mensi Majo 1862 fere prorsus sanatus dimitti posset. Sed inde ab hoc tempore ille, qui nautae munera facile obit, quum in patriam reversus est, etiam semper in vaporarium se confert, ad hunc finem a domicilio suo unius horae itinere sine ulla molestia facto. Idem, se non modo novis impetibus liberum fuisse, sed etiam valetudinem suam in dies crescere, affirmat.

Historia secunda.

Christianus Rehberg, nauta, quadraginta octo annos natus XIV. VII. LXII. in institutum receptus est.

Anamnesis. Aegrotus a puero articulorum doloribus et rigore, quae mala ab eo tempore, quo navem solvit, semper aucta sunt, laboravit.

Status praesens. Aegroti, qui usum pedum amisit, extremitatum musculi sunt in maxima atrophia; praecipue dextri cubiti et amborum genuum articuli, in quibus magna multitudo exsudati atque crepitatio observari potest, morbo sunt capti.

Therapia. Articulis fomenta, quae Priessnitz invenit, adhibentur. Aegroto ab initio

Vin. sem. Colchic. ℥iij
Tinct. thebaic. ℥j

quater quotidie guttae quindecim dantur, sed propter ventriculi et intestinorum irritationem, quae mox se ostendit, ad usum Kalii jodati transitur et ter per hebdomadem vaporatio balinearum, in qua praecipue articulis affectis id, quod Dampfdouche nos vocamus, applicatur, praescribitur. Aegrotus, qui per quatuor hebdomades hoc modo tractatus e lectulo surgere potest, dolet quidem postquam diu ambulavit, sed satis libere cubiti genuumque articulos movere valet; neque minus etiam musculorum vires sunt auctae. Aegrotus postquam triginta quatuor balinearum vaporationibus usus est, fere prorsus sanatus, dum sine baculo parvo fere totam diem ambulare potest, institutum relinquit.

Historia tertia.

Joachim Mann, nauta quadraginta septem annos natus XVIII. VII. LXII receptus est in institutum.

Anamnesis. Aegrotus jam per quatuor annos chronico articulorum rheumatismo, qui in dies ita crescebat, ut a Christi natalitiis anni LXII ille ambulare non posset, affectus est.

Status praesens. In aegroto maxima cachexia rheumatica observatur, musculi sunt summa in atrophia, uterque genuum articulus turgidus in capsulis affatim liquoris continet, item articuli ma-

nuum et partim digitorum cubitorumque sunt affecti. In omnibus fere articulis, qui pressi aegroto magnum dolorem excitant, crepitatio facile auditur; et extremitates inferiores, quarum musculi flexores satis contracti, ita sunt flexae, ut aegrotus stare non valeat.

Therapia. Aegroto Kalium jodatum ʒj—ʒvj praebetur atque articuli ab initio tinctura Jodi obliti, quum mox vehemens epidermidis inflammatio orta sit, fomentis Priessnitzianis circumdantur. Ut musculorum atrophia tollatur, vis electrica quotidie adhibetur, quo facto aegrotus maxime dolet, et ut eventus confirmetur, extremitatum circuitum per mensem medicus metitur.

25. 9. 62. Circuitus antibrachiorum subter condylos, dextri 9'' sinistri $9\frac{1}{4}$''; circuitus antibrachii medii

dextri 7'', sinistri $7\frac{1}{4}$''

circuitus femorum super trochanterem majorem

dextri $18\frac{1}{2}$'', sinistri 18''

circuitus surae

dextrae 10'', sinistrae 10''.

Crepitatio diversorum articulorum motorum est etiam nunc magna et dolor, quum extremitates inferiores extendere medicus conatur, haud exiguus. Aegroto ab eo tempore ter per hebdomadem balinearum vaporatio praescribitur.

26. 10. 62. Mensurae earumdem partium ostendunt: antibrachii $9\frac{3}{4}$'', antibrachii medii 9'', femorum 19'', surarum 11''. Post vaporationes aegrotus sem-

per melius se habet et agitatio extremitatum paullatim augetur.

25. 11. 62. Mensurae antibrachii medii 10″, femorum 20″, surarum 11″. Genuum articulorum circuitus fomentis Priessnitzianis adhibitis admodum est diminutus.

20. 12. 62. Circuitus antibrachiorum $10\frac{1}{2}$″, femorum 21″, surarum $10\frac{1}{2}$″; aegrotus, postquam viginti quatuor balinearum vaporationibus usus est, aliquamdiu eas intermittit.

10. 1. 63. Extremitatum superiorum agitatio ita est aucta, ut aegrotus non modo ad frontem facile eas attollere sed etiam digitis minores res amplecti possit. Extremitates autem inferiores, quae in lectulo attolli, adduci et ad certum finem extendi pos sunt, vi externa longius extensae maxime dolent. Aegrotus eo die primum post annum, qua in occasione quidem extremitates in genu flexae maxime tremunt, sine ullo praesidio paullisper stare valet.

30. 1. 63. Circuitus antibrachiorum $10\frac{1}{2}$″, femorum $21\frac{1}{2}$″, surarum $10\frac{1}{2}$″, genuum supra condylos articuli dextri 15″, sinistri $14\frac{1}{2}$″. Aegroto, usque ad id tempus quinquaginta quatuor Kalii jodati drachmis datis, tunc Olei jecoris aselli ter quotidie cochlear majus et balinearum vaporationum usus iterum praescribitur. Ceterum bene se habet aegrotus et modo tempestate imminente de doloribus membrorum queritur.

26. 2. 63. Praeter oleum jecoris aselli tum iterum Kalii jodati ℨβ—℥vj quater quotidie cochlear

majus praebetur. Capsulae articulorum manuum et digitorum etiam semper tumidae et crepitantes, et extremitates inferiores et superiores sunt flexae. Genuum autem articuli ita sunt turgidi, ut forma facile intelligi et praecipue patella accurate sentiri non possit. Liquor in capsulis articulorum genuum jam animadverti non potest.

29. 3. 63. Antibrachiorum femorumque idem est circuitus qui ante, sed circuitus surarum $10\frac{3}{4}''$, genuum articulorum $14\frac{1}{2}''$. Aegrotus, qui tum genibus quidem flexis duas vel tres minutas stare valet, e loco se movere non audet. Vaporationes balinearum iterum intermittuntur.

25. 4. 63. Proximis hebdomadibus articulorum agitatio maxime est aucta. Extremitates inferiores, quae jam ita sunt validae, ut aegrotus sellis atque lectulis se fulciens nonnullos passus facere possit, quotidie vi extenduntur, neque minus in articulis humerorum cubitorumque motiones passivae fiunt. Aegrotus, qui jam medicamentis non utitur, cibis firmis modo fruitur.

15. 5. 63. Aegrotus duobus baculis fultus in conclavi et prothyro ambulat, corporis autem habitus semper est qualis simiae satyri.

28. 5. 63. Aegrotus, qui totum diem extra lectulum versatur, in horto diligenter ire conatur.

10. 6. 63. Aegroto, qui duobus baculis parvis fultus plus centum passus ire potest, jam nonnullos scalae gradus ascendere contingit.

1. 7. 63. Aegrotus, qui eo die admodum sana-

tus et contentus institutum reliquit, per proximas hebdomades multum sub divo se movit et duobus parvis baculis usus, dum nec vacillat nec incertus est, haud exiguum spatium emetiri potest. Inferiores extremitates quidem sponte nondum prorsus, sed vi externa omnino extendi atque brachia usque ad verticem attolli possunt. Neque minus digitorum articuli sunt tanta agilitate, ut aegrotus cultro atque furca commode uti possit. Aegroti species penitus sana est.

Quum multi alii jam antiquitus noti morbi, quorum de origine et natura aut nihil aut perpauca comperta erant, tum affectiones rheumaticae, quo nomine fere omnes morbi qui cognosci non poterant, designabantur, ut neuralgiae, irritationes spinales, phlebitis, pyaemia etc., ab ipsa arte medica male tractatae sunt. Hoc autem imprimis de therapia dicendum est; nam, ut specificum, quod saepe inventum esse credebatur, captaretur, rheumatismis fere innumerabilia remedia, quae, ut facile intelligi potest, nonnunquam profuerunt, saepenumero etiam nocuerunt, adhibebantur usque ad hoc tempus, quo medica ars parvarum virium sibi conscia, non jam quemvis morbum a se vinci posse praedicat, sed plerumque leniri tantum, non autem plane sanari, libenter et aperte profitetur. Itaque, quum, chronici articulorum rheumatismi nullum esse specificum remedium, certe donec morbi natura non sit cognita, intellexerimus, morbum modo in levissimis et raris casibus plane sanari posse et si nobis, ut ille con-

sistat aut nonnihil leniatur, effecerimus, contenti esse debebimus.

Quodsi ad therapiam nos vertamus, ut in omnibus aliis morbis, ita etiam in chronico articulorum rheumatismo tractando duabus indicationibus esse satis faciendum, intelligimus: Primnm quidem prophylaxi, deinde morbi ipsius therapiae, in qua, ut immutationes pathologicae anatomicae in integrum restituantur, maxime videndum est. De prophylaxi quidem neque minus de rheumatismi articulorum chronici dispositione, cujus natura quidem est ignota, et innata et quavis rheumatica affectione acquisita nunc omnes medici theoretici vel practici consentiunt. Imprimis vero est medici omnem acutum rheumatismum maxime articulorum diligentissime tractare, ut caveatur, ne is in chronicum transeat.

Sin morbus sanatus est, si impetus ipse tam levis erat, ut immutationes anatomicae non remanserint, si denique individua erant adolescentia aut valida constitutione affecta, certe corporis duratio contra frigus, humorem, perflatum etc., quae causae, quidem quantum nunc scire possumus, praecipue rheumatismum efficiunt, praescribenda est. Commendes igitur, ut aegroti aut quotidie totum corpus primum tepida tum frigida aqua perluant, aut in mari vel in fluviis corpora abluant, atque imprimis quotidie sub Jove et secundo et adverso ambulent. Iis autem aegrotis, qui jam diu morbo laboraverunt aut viribus jam sunt defecti, alia therapia adhibenda est. Si fieri potest, aegrotis,

ut in aliam transmigrent regionem magis opportunam, persuadeas; praeterea autem aegrotos tegumentis laneis sericisque nudo corpori impositis, pellibus emplastrisque quibusdam etc., quibus articulos involvas, ab asperis tempestatibus defendas. Neque minus cavendum est, ne aegroti in humido domicilio vitam peragant. Niemeyer auctore qui opportune ait:

„Nicht streng genug kann man darauf bestehen, dass ein etwa dumpfes und feuchtes Schlafzimmer gegen das gewöhnlich weit gesunder gelegene und trockene „Putzzimmer“ vertauscht werde.“

Deinde, quod ad rheumatismum articulorum chronicum sanandum attinet, duas rationes, externam et localem et generalem, alteram internam, quarum illa quidem majoris est momenti quam haec, qua illa tantum adjuvatur, persequi debemus. Primum igitur, si nos ad tractatum localem externum vertimus, contra inflammationem articulorum, primam indicationem, postremo omnia medicamenta antiphlogistica, a frigore usque ad ferrum candens, commendata esse reperimus. Et frigus quidem, quum fere semper complures articuli morbo capiantur, quare ejus usus fiet difficillimus, in rheumatismo articulorum chronico tractando non est adhibendum; quo accedit praeterea, quod ab aegrotis, quum morbus praecipue in texturis fibrosis extensione quidem dolentibus versetur, frigus non tole-

ratur. Quod autem ad locales sanguiuis detractiones sive per hirudines sive per cucurbitulas attinet, quae a multis (Niemeyer, Vogel, Lebert) in recentibus casibus atque magnis doloribus commendantur, non ambigi potest, quin eae, dum auctum sanguinem vasorum in inflammatis texturis ad tempus, eoque compressionem et nutriendi actionem minuunt, inflammationem ipsam atque maxime dolorem leniant, sed is eventus semper modo transiens esse potest. Itaque has sanguinis detractiones saepius repeti necesse esset, quae res tamen in recentibus tantum casibus et valida constitutione probanda erit, quamquam etiam doloris ipsius, cujus causa praecipue sanguis detrahitur, alia efficaciora remedia, ut narcotica, humidus calor etc. habemus. In casibns vero inveteratis atque individuis morbo debilitatis locales sanguinis dotractiones omnino evitandae sunt, quum imprimis id agendum sit, ut aegrotorum nutritio non modo eadem maneat, sed quam maxime augeatur.

Locales sanguinis detractiones subsequuntur medicamenta derivantia, praecipue rubefacientia atque vesicantia, quorum illa inflammatione superficiali arte effecta, haec majore, qua epidermis solvitur, primam quidem sedem, articulos, irritatione liberant et ad inflammationes ipsas eam traducunt. Quorum duorum ordinum medicamenta secundum theoriam probata saepe et feliciter adhibita sunt, ut inter omnia, quae singula exponere longum est, nullum sit, cuius non secundus sit effectus. Utrum

autem hoc an illud magis sit praecellens, distingui vix potest, immo unicuique concedendum erit, ut ex numero magno, quod sibi aptissimum esse videatur eligat.

Vulgo tamen rubefacientia, etiamsi longius per tempus adhibeantur, casum difficiliorem nullo modo in integrum restituere posse putanda sunt, quare, si iis omnino etiam nunc uti volumus, solum in casibus integris atque levibus ea praescribi possunt. Majorem vero et in casibus difficilibus etiam mirabilem vim, praecipue si loca, quibus epidermis detracta est, diutius suppurationi permittuntur, habent medicamenta vesicantia. Contra quae tamen, quod nequaquam exigui est momenti, dici necesse est, ab iis aegroto, quum balnea, quae Douchen vocamus et quorum mox mentionem faciam, haudquaquam minus efficacia derivantia, quae simul aegrotis multo sunt gratiora, possideamus, magnos dolores nequidquam parari. Quod autem de medicamentis vesicantibus retulimus, non minus pertinet ad moxas et ferrum candens, quod si quis etiam nunc adhibeat, praeter necessitatem crudelis sit.

Aliud medicamentorum genus, cujus in indicatione prophylactica partim mentionem feci, ut emplastra picea et narcotica, involutiones xylineas laneasque etc., quum, paucis exceptis, quae haud scio an facili derivatione alicujus sint utilitatis, id solum ut articulum laesum, aequali effecta tem-

peratura, tueantur, spectare possint, jure praetermittendum esse puto.

Si nunc ad humoris calidi usum, quo pertinent cataplasmata, fomenta, balnea localia et quae dicimus Douchen, de quibus posthac in balneis generalibus describendis plura dicemus, transimus, haec medicamenta, de quorum singulorum effectu, — nam fomentis Priessnitzianis solis usus sum — judicare non possum, haec quidem eo, quod item, utpote epidermidem rubefacientia ejusque perspirationem excitantia primordialem inflammationem ex articulis ad epidermidem transducant, derivantibus esse simillima videmus. Quae medicamenta, quamvis non sint tanta vi, ut ullum processum articulorum inflammatorium ad integrum reducere possint, tamen quum magnum effectum interdum articulis applicatorum Douchen continuum reddant, in rheumatismo articulorum chronico sanando insignis momenti sunt. Praeterea autem humore calido, quo texturae relaxantur atque imprimis tensae partes articulorum fibrosae retenduntur, ut dolores exstinguantur et ut, quum localis vasorum efficacia augeatur, resorptione atque perspiratione immutationes anatomicae, quae jam existunt, ad integrum restituantur efficitur. Quare non solum in casibus levibus, sed adeo in casibus inveteratis, in quibus jam illae immutationes anatomicae pathologicae, ut articulorum capsulae et ligamenta crassata, et exsudata nata sunt, humor calidus commendari potest, praesertim quum is in hujus universitatis instituto in forma fomentorum Priessnitzianorum, quae

quotidie bis vel ter renovantur, semper, ut ex morbi historiis intelligi potest, quam felicissime adhibeatur. Caloris humidi autem, qui remediis in inflammationem ipsam articulorum adhibitis finem facit, vi varia nos ad ea, quae immutationes anatomicas pathologicas jam ortas in integrum restituant, adducti sumus. Quorum in numero sunt unguenta jodi atque hydrargyri et alia, quae ut unguentum argenti nitrici sunt minoris dignitatis. Haec omnia autem atque imprimis unguentum jodi, quamquam ab epidermide ea partim resorberi constat et quin unguentum jodi quidem vasorum lymphaticorum systema ad resorptionem excitet, dubitari non potest, tamen hac vi neglecta, quum brevi tempore tantam dermatitidem eczematosam, ut usum a medico interdici plerumque necesse sit, efficiant, sunt omnino medicamentis derivantibus simillima. Itaque jodo sicut hydrargyro, qui modo in iis casibus, in quibus etiam syphilis adest, commemorandus est, in locali therapia nullo modo uti, sed ea remedia therapiae internae omnino attribuere optimum erit.

Si nunc ad therapiam externam generalem, quae in balneis, quibuscum simul de iis, quas Douchen vocamus, disserendum erit, consistit, transimus, omnibus a balneis, sive artificiosis sive naturalibus, sive calidis sive vapore paratis, quum vasorum efficacitate aucta resorptionem atque perspirationem excitent, ut articulorum immutationis pathologicae anatomicae in integrum restituantur, effici videmus. Id quidem, singula balnea etiamsi non semper eo-

dem, ut nonnulli contendunt, tamen semper bono esse effectu in rheumatismo articulorum chronico tractando, certe constat. Quodsi autem de balneis calidis disserere incipimus, quum Niemeyer, cui omnino assentiendum putamus de iis loquentem citabimus. Verba ejus haec sunt: Für die allgemeine Behandlung, welche bei der vagen Form des chronischen Rheumatismus in den Vordergrund treten und bei der fixen Form desselben die örtliche Behandlung unterstützen muss, verdient die systematische Anwendung warmer Bäder das meiste Vertrauen. Es giebt — das wird kein Arzt leugnen, welcher eine etwas grössere Erfahrung hat — zahlreiche Personen, welche von langjährigen rheumatischen Leiden, die bis dahin allen therapeutischen Maassregeln widerstanden, durch eine einmalige oder eine wiederholte Badecur in Aachen, Warmbrunn, Töplitz, Wiesbaden, Baden-Baden, Rheme, Wildbad, Pfaeffers u. s. w. vollständig hergestellt wurden. Der Umstand, dass Thermen von sehr verschiedener chemischer Zusammensetzung, und dass ebenso Thermen, deren Wasser sich grade durch den geringen Gehalt an mineralischen Bestandtheilen auszeichnen, mit Recht in einem vorzüglichen Ruf gegen chronische Rheumatismen stehen, spricht hinlänglich dafür, dass es bei der Behandlung des chronischen Gelenkrheumatismus viel mehr auf das Baden in warmem Wasser, als auf das Baden in dieser oder jener Lösung ankommt. In gut eingerichteten, mit zweckmässigen Badeanstalten versehenen Kranken-

häusern werden bei dem chronischen Rheumatismus ebenso günstige Erfolge erzielt, als in Aachen, Wildbad, Töplitz u. s. w., eine Behauptung, für welche ich aus der Greifswalder Klinik zwar nicht zahlreiche, aber äusserst frappante Beispiele anführen kann. In der Privatpraxis ist eine im eigenen Hause mit der durchaus nothwendigen Vorsicht und Gewissenhaftigkeit ausgeführte Badecur schwer durchzusetzen, und man thut gewöhnlich besser, Privatkranke in eine der genannten Thermen zu schicken. Es scheint, zumal nach den Erfahrungen in Wildbad, in Leuk und an anderen Orten, zweckmässig zu sein, die Dauer der einzelnen Bäder allmählig auszudehnen und die Kranken gegen das Ende der Cur eine Stunde lang oder noch länger im Bade verbleiben zu lassen. Ueberaus wichtig ist es, dass die Kranken nach dem Bade auf das Sorgfältigste vor Erkältung geschützt werden, und es ist sehr zu empfehlen, dass man dieselben nach dem Bade eine Zeit lang in wollenen Decken schwitzen lasse. Man lässt gewöhnlich hinter einander nur 28 bis 30 Bäder nehmen, und es scheint in der That, als ob es zweckmässig sei, diese Zahl nicht bedeutend zu überschreiten und lieber bei nicht genügendem Erfolge einige Monate später eine Cur von gleicher Ausdehnung wiederholen zu lassen. Eine Temperatur von 28—30° R. genügt und ist vielleicht sehr hohen Temperaturen vorzuziehen; wenigstens leisten russische Dampfbäder beim chronischen Gelenkrheumatismus nach meinen Erfahrungen weit weni-

ger als warme Wasserbäder. Auch an andern Orten werden ähnliche Erfahrungen gemacht.

Quod autem ad postremam sententiam attinet, eam sequi non possum, sed Leberti commendationibus atque Vogelii et eventibus vaporationum balinearum in supra commemoratis aegrotis fretus, quum per eas resorptionem atque perspirationem majore quam balnearum calidarum calore magis augeri concedendum sit, balinearum vaporationes in rheumatismo articulorum chronico tractando omnino majoris esse momenti quam balnea calida puto. Sin Niemeyer, ut minorem vaporationum utilitatem probet, ait, vaporarium modo institutum, quod initio ab hominibus rheumatismo articulorum chronico laborantibus maxime frequentetur, jam post nonnullos annos, quia aegroti non sanati sint, vitari, eam rem non ad vaporationum balinearum efficaciam sed ad pravam ejus adhibitionem pertinere credo; tanta enim diligentia atque providentia iis adhibenda est, quanta non nisi in maximis ejusmodi institutis inveniri potest atque imprimis aegrotum post earum usum multo magis quam post calida balnea in lectulo versari etiam necesse est. Quodsi balnea generalia jam in rheumatismi articulorum chronici curatione magni sunt momenti, localia etiam quae nos Douchen vocamus, quae mali locum ipsum aggrediuntur, etiam utiliora sunt. Quibus adhibitis, quum hyperaemia magna atque diu durans, quae a fomentis Priessnitzianis perpetuo conservatur, efficiatur, omnia alia remedia derivantia supervacanea redduntur. Num

autem id, quod kalte Douche vocamus, an id, quod Dampfdouche dicimus, melius sit, discernere nescio; certe tamen utrumque maxima providentia, ab initio diviso, tum uno radio, neque diutius quam quindecim minutas adhibendum est.

Quod ad hydrotherapiam attinet, Niemeyeri sententiam sequar, qui eam modo in recentibus casibus utilem esse posse, dicit.

Restat, ut de illo remedio disseramus, quod non ut morbus ipse sanetur, sed ut consecutiones, quae articulorum immobilitate efficiuntur, evitentur, adhibetur; vim dico electricam. Quod remedium, quo, quum hoc tempore effectus saepe pluris aestimatus sit, multi medici abusi sunt, in rheumatismo articulorum chronico sine ulla dubitatione adhibendum esse puto. Nam, quum musculus, qui duitius quiescere coactus est, eo quod in adipem degenerat aut atrophia afficitur, contrahendi facultatem amittat, imprimis agendum est, ne id eveniat, quae quidem res nullo alio modo nisi vi electrica quotidie adhibita, qua musculi in actione artificiosa conservantur, fieri potest. Sed effectus, qui vi electrica oritur, etiam major est, quum, ut ex morbi historiis intelligi potest, extremitates maximae atrophiae, quarum musculi quidem vi electrica etiam irritari poterant, ea non modo a perfecta inutilitate defensae sint, sed earum facultas etiam contrahendi ita aucta sit, ut fere non minus facile quam hominis sani moveri possent.

Denique externa rheumatismi articulorum chronici therapia finita, ut de interna, qua illa adjuvanda est, disseramus reliquum est. Etiam in ea nullum medicamentum specificum est morbi, sed omnia, quod, ut actione sola vasorum augenda morbus frangatur, petunt, remediis externis plerisque effectu sunt similia, quod praecipue de fontibus mineralibus supra a Niemeyero commemoratis atque maxime a Vogel commendatis dicendum est. Quae autem remedia, quamquam mihi quidem nulla argumenta eventus aquarum salsarum praesto sunt, tamen modo in ipso fontis loco feliciter adhiberi posse puto. Quod autem ad medicamenta purgantia, quae Lebert tertia quaque hebdomade adhiberi vult, attinet, ea modo in obstructione chronica, in qua eo ipso imperantur, praescribenda esse dicam, quum plurimum intersit, ut aegroti morbo diuturno plerumque debilitati, bene alantur. Quare firmam sed modicam diaetam et, si opus est, medicamenta ut ferrum et chinae corticem aut in pauperibus oleum jecoris aselli, quod in rheumatismo specificum saepe praedicatur, aegrotis commendes. Quod tamen ad olei jecoris aselli laudem pertinet, ejus utilitatem in rheumatismo articulorum tractando non tam in effectu jodi, cujus aut nihil aut paullum continet, quam in generali nutritione sola augenda positam esse credo.

Si nunc ad duo illa remedia antirheumatica, tincturam vel vinum seminis colchici et tincturam guajaci transimus, ea, quamquam bonus effectus in

rheumatismis re vera iis abjudicari non potest — certe quidem in musculorum rheumatismo semper magno usui esse vidi — tamen si morbus chronicus tractatur, quum mox digestionis apparatum irritent, per breve tempus modo adhiberi posse profiteri debemus. Itaque, ut illud vitetur, haec medicamenta in rheumatismo articulorum chronica melius erit omnino non praescribere. Alius autem, quum praecipue articulorum capsulae et ligamenta affecta sunt, internus jodi usus, quod, quum de ejus effectu resorbente hodie dubitari non potest, etiam in instituto hujus universitatis semper et quidem in forma calii jodati, quum ita praeparatum ab aegrotis diu bene toleretur, adhibetur. Ut enim ex morbi historiis intelligi potest unus aegrotorum, Joachim Mann, qui octoginta fere drachmas, nullo, praeter jodum, quod in urina detectum est, impedimento aut molestia cognita, consumebat, in dies corporis firmitate crevit. Quibus ex causis calium jodatum in rheumatismo articulorum chronico semper adhiberi, hydrargyrum contra cum jodo eodem modo commendatum, quum ut jam supra dixi, id effectus famam modo numero articulorum inflammationum, quibus syphilis adjuncta erat, debere, putem, neque minus multa alia remedia, ut diaphoretica, quae non jam commemorabo, omnino negligi velim.

Quodsi ad morbi historias redimus, simplici therapia optimos effectus ortos esse invenimus. Nam quamquam in omnibus tribus aegrotis chronicus articulorum rheumatismus tam obsoletus atque invete-

ratus erat, ut aegroti morbo maxime debilitati omni extremitatum usu privati essent, tamen in duobus brevi, in tertio longinquiore tempore non modo ut morbum desineret, sed etiam ut immutationes pathologicae anatomicae in integrum ita restituerentur, ut aegroti quasi sanati e nosocomio dimitterentur, nobis contigit. Interrogantibus autem nobis, cui remediorum effectus attribuendus sit, quantumvis unum vel alterum remedium magis effecerit, communi solo omnium effectu talem eventum ortum esse, dicendum est. Duobus autem medicamentis, fomentis Priessnitzianis et ei, quod nos „Dampfdouchen" vocamus, maximum effectum attribuam, neque minus vi electricae, de qua quum necessitas eius atque utilitas in rheumatismi articulorum chronici therapia tam evidens sit, ut ipsa se commendet, nihil addere debeo. Quod tamen ad fomenta Priessnitziana atque omnia ea, quae nos „Douchen" vocamus sive calida sive vaporum attinet, nihil antiquius habeo, quam ut iterum atque iterum ea, quum aliis localibus tum remediis vesicantibus, quae propter eventum per multa jam saecula usitantur, opponens, laude in coelum efferam. Quum enim utrumque in optimis derivantibus habeatur, cur, praesertim quum fomentorum Priessnitzianorum vis etiam ea sit, quae non modo immutationum pathologicarum redintegrandarum particeps sit, sed etiam remedia dolores lenientia plerumque nobis suppleat, ad remedia ea, quae aegroto maximos dolores afferunt, refugiamus intelligi non potest.

VITA.

Natus sum Augustus Ernestus Laurentius Dittmer Demmini XIX mens. Dec. anni hujus saeculi XXXVII, patre Ferdinando, matre Guilelma e gente Muhrbeck, quibus parentibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus primum Paedagogium Putbusianum, tum Gymnasium Tanglimense, quod Sommerbrodtii directoris auspiciis florebat, adii. Maturitatis testimonio ornatus Gryphiam me contuli, ubi a Rectore Magnifico illustr. Haeser receptus et ordini medicorum adscriptus sum. Ibi postquam per duo semestria studiis medicinae operam dedi, Herbipolin petii, quam universitatem per tria semestria frequentavi. Tum vero reversus Gryphiam ab illust. Baumstark Rect. Magnif. in civium academicorum numerum receptus, apud illust. Budge, Decanum Spectatissimum medicorum ordinis nomen professus sum.

Per novem semestria disserentes audivi:

Herbipoli:

Ill. Müller: de anatomia comparata; de physiologia visus.

Ill. Bamberger: de pathologia et therapia speciali; de morbis cutis.

Ill. de Scanzoni: de theoria artis obstetriciae.

Ill. Rinecker: de infantum morbis.

Ill. de Marcus dux mihi fuit in clinico psychiatrico.

Gryphiae:

Ill. Münter: de zoologia universali et speciali; de botanice generali tam physiologica quam systematica; eundem secutus sum in excursionibus botanicis.

Ill. Huenefeld: de mineralogia; de chemia theoretico-practica.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Beat. Schildener: de psychologia, de logice.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de anatome organorum sensuum; de corporis humani evolutionis historia; idem dux mihi exstitit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medica.

Ill. Laurer: de materia medica; de arte fascias chirurgicas alligandi.

Ill. Grohe: de anatome pathologica.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice.

Ill. Ziemssen: de exanthematibus acutis, de pathologia et therapia generali.

Exp. Haeckermann: de politia medica.

Ill. Bardeleben: de akiurgia, de chirurgia generali et speciali; de fracturis et luxationibus; idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis.

Ill. Pernice: de mulierum morbis.

Ill. Ruehle: de morbis nervorum; de psychiatria universali.

Exp. Heineke: de extremitatum morbis.

Duces mihi fuerunt in clinico chirurgico et ophthalmiatrico: Ill. Bardeleben; in clinico obstetricio: Ill. Pernice; in clinico medico Ill. Ruehle.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

Neonati, qui asphycti sunt, rationaliter non tractantur, nisi nervorum phrenicorum irritatione.

II.

Abortum provocare medico interdum licet.

III.

Thermometria in morborum acutorum diagnosi non minoris momenti est, quam auscultatio et percussio.

IV.

Inhalationes in pulmonum morbis non negligendae sunt.